DE CVLTV DIOSCVRORVM
APVD GRAECOS

PARS PRIOR.

DISSERTATIO PHILOLOGA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI

TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

DIE X MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCXCIIII HORA XI

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

IACOBVS MORTON PATON

NOVO-EBORACENSIS.

ADVERSARII ERVNT

IOANNES DRAGENDORFF

FRANCISCVS HESTER

ADALBERTVS WAHL

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, TYPOGR. ACAD.

MDCCCXCIIII.

FRANCISCO BVECHELER
GEORGIO LOESCHCKE
HERMANNO VSENER

De natura deorum sententias ut comprehendamus Graecorum, non satis est testimonia de deis vetera sive auctorum sive titulorum examinare et originem nominum e radicibus deducere, ex quibus studiis sane multa et gravia de sententiis antiquissimis et de primordiis, ut ita dicam, religionis collecta sunt sed praeterea quo loco et quo tempore testimonia singula scripta sint, quo modo cultores ipsi nomina deorum intellexerint, quos honores illis tribuerint, quaerendum est neque neglegendae sunt formae, quae deis attributae sunt. nonnulli viri docti, ut Immerwahrius[1]) et Wideus[2]), testimonia de deis et cultibus ad unam regionem pertinentibus collegerunt, quae opera ad sententias populi intellegendas et ad historiam religionis Graecae utilissima sunt. ego mihi videbar non sine fructu, ut cultum Dioscurorum apud Graecos persequerer, omnia testimonia de his deis collecturus et dispositurus esse. quo opere amplissimo philosophorum ordini tradito mihi benigne concessum est, cum totum postea editurus essem, ut Laconicum solum Dioscurorum cultum hoc loco tractarem.

Neque de fabulis ad Dioscuros pertinentibus neque de formis, quibus Graeci hos fingebant, in hac parte operis disserui neque de origine et natura deorum geminorum, qui nominibus multis appellati, non modo apud Graecos sed etiam apud Latinos atque, ut videtur, barbaros colebantur, quae omnia mihi propositum est in altera parte pertractare.

---

1) W. Immerwahr Die Kulte und Mythen Arkadiens.

2) Sam. Wide De sacris Troezeniorum etc., et Lakonische Kulte.

Laconia.

Testimonia antiqua de cultu Dioscurorum in Laconia diligenter collegit Wideus in libro supra laudato, sed materiam alia ratione disposuit neque eam plene pertractavit, ut non supervacaneum videatur rem de novo exponere.

I. Primum quaerendum est, *quibus locis Laconiae* Dioscuri culti sint. quos locos eodem ordine tractavi quo Pausanias eos perlustravit. qui cum ex Argolide in Laconiam per Hermas ingressus esset, nonnulla templa deorum descripsit, sed de Dioscuris nullam mentionem fecit antequam Spartam advenit.

Sed in finibus *Sellasiae* Dioscuros cultos esse demonstrat anaglyphum Vurliae repertum et a Furtwaenglero[1]) primo descriptum.

Inscr. Graec. Antiq. 62a, p. 174. 'In ea tabula Dioscuri sculpti erant nudi, stantes, in medium conversi, alter ad dextram alter ad sinistram, hic manu dextra coronam tenens; figurae nunc ita mutilae sunt, ut utriusque pars superior ventre tenus, praeterea sinistrae crura magnam partem perierint; etiam titulus cruribus figurarum interiectus inferne mancus est'. inscribitur autem hoc epigramma

Πλεισσιάδας μ' ἀ[νέθηκε]
Διοσκώροισιν ἄ[γαλμα],
Τινδαριδᾶν δ[ιδύμων]
μᾶνιν ὀπιδ(δ)όμ[ενος].

Formae litterarum et imaginis durae et rigidae prohibent quominus titulum post annum 500 a. Ch. n. exaratum credamus. sensum inscriptionis et sententiam Pleistiadae de ira Dioscurorum postea examinabo.

Sparta.

De regionibus et vicis Spartanis nihil satis constat, cum ex aedificiis solius theatri situs certus sit. itaque ordinem Pausaniae secutus non sum, sed a templo Dioscuro-

1) Mitth. d. ath. Inst. VIII p. 372.

rum initium feci. quod templum ad exitum Dromi situm est et illis una cum Gratiis consecratum.

Paus. III 14, 6. προελθόντι δὲ ἀπὸ τοῦ Δρόμου Διοσκούρων ἱερὸν καὶ Χαρίτων, τὸ δὲ Εἰλειθυίας ἐστὶν Ἀπόλλωνός τε Καρνείου καὶ Ἀρτέμιδος Ἡγεμόνης. In diversa parte Dromi tropaeum a Polluce Lyncei victore constitutum ostendebatur[1]). in Dromo Spartani iuvenes cursu se exercebant et ad aditum erectae imagines Dioscurorum Ἀφετηρίων[2]), i. e. qui cursores emittunt.

Adiuncta Sciadi, ubi aetate Pausaniae contiones habebantur, erat aedes rotunda Iovi et Veneri ab Epimenide Cretensi dedicata et prope eandem monumentum et super id fanum Castoris[3]). cum ad Sciadem etiam sepulcrum Idae et Lyncei, filiorum Apharei ostenderetur, qui in pugna adversus Dioscuros occisi erant, verisimile est Spartanos Castorem, ut qui in eadem pugna mortem obierit, hoc loco sepultum esse putasse. in fano igitur non ut deus Olympius sed ut heros Castor colebatur, et ex verbis Pausaniae de Tyndaridis in deos relatis concludere, nisi fallor, possumus hoc fanum Spartae vetustissimum haberi.

Pausanias (III 13, 6) porticus descripsit, ubi priscis temporibus scruta vendebantur. ibi in medio spatio, ut videtur, arae erant Iovi Ambulio, Minervae Ambuliae, Dioscuris Ambuliis consecratae[4]). de quibus cognominibus infra disputabitur. post templum Hilairae et Phoebes descriptum transit Pausanias ad aedificium Χιτῶνα appellatum, ubi

---

1) Paus. III 14, 7. τοῦ Ἀσκληπιοῦ δὲ οὐ πόρρω τρόπαιον ἕστηκε, Πολυδεύκην δὲ ἀναστῆσαί φασιν ἐπὶ Λυγκεῖ.

2) Paus. III 14, 7. πρὸς δὲ τοῦ Δρόμου τῇ ἀρχῇ Διόσκουροί τέ εἰσιν Ἀφετήριοι, καὶ ὀλίγον προελθόντι ἡρῷον Ἄλκωνος.

3) Paus. III 13, 1. Πλησίον δὲ ἔστι μὲν Κυνόρτου τοῦ Ἀμύκλα τάφος, ἔστι δὲ Κάστορος μνῆμα, ἐπὶ δὲ αὐτῷ καὶ ἱερὸν πεποίηται· τεσσαρακοστῷ γὰρ ὕστερον ἔτει τῆς μάχης τῆς πρὸς Ἴδαν καὶ Λυγκέα θεοὺς τοὺς Τυνδάρεω παῖδας καὶ οὐ πρότερον νομισθῆναί φασι. δείκνυται δὲ πρὸς τῇ Σκιάδι καὶ Ἴδα καὶ Λυγκέως τάφος.

4) Paus. III 13, 6. ἔστι δέ τι χωρίον ἔχον τὰς στοὰς ἐν τετραγώνῳ τῷ σχήματι, ἔνθα σφίσιν ἐπιπράσκετο ὁ ῥῶπος τὸ ἀρχαῖον· πρὸς τούτῳ Διὸς Ἀμβουλίου καὶ Ἀθηνᾶς ἐστὶν Ἀμβουλίας βωμός, καὶ Διοσκούρων καὶ τούτων Ἀμβουλίων.

mulieres tunicam Apollini Amyclaeo intexebant, et deinde commemorat domum[1]) olim a Castoribus habitatam, postea Phormionis cuiusdam Spartani[2]), de quo Pausanias hanc fabulam narrat. Παρὰ τοῦτον ἀφίκοντο οἱ Διόσκουροι ξένοις ἀνδράσιν ἐοικότες· ἥκειν δὲ ἐκ Κυρήνης φήσαντες καταχθῆναί τε ἠξίουν παρ' αὐτῷ, καὶ οἴκημα ᾐτοῦντο ᾧ μάλιστα ἔχαιρον, ἡνίκα μετὰ ἀνθρώπων ἦσαν. ὁ δὲ οἰκίας μὲν τῆς ἄλλης ἐκέλευεν αὐτοὺς ἔνθα ἂν ἐθέλωσιν οἰκῆσαι, τὸ δὲ οἴκημα οὐκ ἔφη δώσειν· θυγάτηρ γὰρ ἔτυχέν οἱ παρθένος ἔχουσα ἐν αὐτῷ δίαιταν. ἐς δὲ τὴν ὑστεραίαν παρθένος μὲν ἐκείνη καὶ θεραπεία πᾶσα ἡ περὶ τὴν παῖδα ἠφάνιστο, Διοσκούρων δὲ ἀγάλματα ἐν τῷ οἰκήματι εὑρέθη καὶ τράπεζά τε καὶ σίλφιον ἐπ' αὐτῇ. (Paus. III 16, 2.)

Quae narratio quomodo cum Dioscurorum cultu Spartano cohaereat, infra quaerendum erit; hoc tantum iam nunc moneo, quem locum dei inhabitarint, quem postea revisearint, quo imagines suas reliquerint, eum deis maxime sacrum fuisse neque dubitari posse, quin in aedibus Phormionis Dioscuri summis honoribus a Spartanis culti sint.

Nonnullos titulos Spartae repertos et ad Dioscuros pertinentes infra disposui, ubi de cultu et sacerdotibus Spartanis disserui, unum autem, qui ad cultum nihil attinet, hoc loco recepi.

Le Bas-Foucart, Voy. Arch. II 162 f. (= Mitth. d. ath. Inst. II p. 386, No. 204.) In anaglypho repraesentati sunt Dioscuri, qui inter duas amphoras stant. in superiore parte media inscribitur

Καλλικράτης Τυνδαρίδαις.

---

1) Erravit Wideus (l. l. p. 320) qui domum Castorum ipsam Χιτῶνα appellatam esse putat; quod minime cum verbis Pausaniae congruit, qui plane οἰκίαν (i. e. τῶν Τυνδάρεω παίδων) ab οἰκήματι (i. e. Χιτῶνα) distinxit.

2) Paus. III 16, 2. Ὑφαίνουσι δὲ κατὰ ἔτος αἱ γυναῖκες τῷ Ἀπόλλωνι χιτῶνα τῷ ἐν Ἀμύκλαις, καὶ τὸ οἴκημα ἔνθα ὑφαίνουσι Χιτῶνα ὀνομάζουσιν. οἰκία δὲ αὐτοῦ πεποίηται πλησίον· τὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς φασὶν αὐτὴν οἰκῆσαι τοὺς Τυνδάρεω παῖδας, χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐκτήσατο Φορμίων Σπαρτιάτης.

De aetate inscriptionis nihil certi constat, sed in titulis Romanae aetatis Castores Διόσκουροι appellantur, uno excepto qui formis ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissis componitur. fortasse igitur saeculo ante Christum natum primo aut altero Callicrates votum solvit.

Amyclae.

Testimonia certa de templo aut cultu Castorum hoc loco desunt. sane Amyclaei apud poetas non semel audiunt[1]), sed secundum Strabonem (p. 364) et Pausaniam (III 2, 6.) Amyclae, urbs Achaeorum, postremae a Doribus superatae sunt, et facillime Amyclaei nominantur ii, qui ante migrationem Doricam aetatem in Laconia egerunt. et Pindarus, si recte verba intellego, Dioscuros non Amyclis sed in vicinitate, i. e. Therapnis locavit[2]). quamquam autem scriptores de Dioscuris Amyclis cultis nihil tradiderunt, tamen verisimile est incolas pagi, qui locum urbis a Doribus eversae occupavit, Tyndaridas coluisse. nam muro ecclesiae non longe ab Amyclis exstructae insertum est fragmentum anaglyphi, in quo Dioscurus alter, nudus, stans, equum secum ducens repraesentatur; pars dextra anaglyphi, quae alterius Dioscuri imaginem continebat, periit[3]).

Ad dextram viae partem, quae Sparta fert Therapnam, vidit Pausanias[4]) fontem Πολυδεύκειαν appellatum et prope fanum Pollucis. cum alii affirmarent fontem a veteribus

---

1) cf. e. g. Anthol. Palat. XIII 18, Ἀμυκλαΐδαι βασιλῆες. C. I. G. IV 6860b, Ἀμυκλαίοι θεοί. Verg. Georg. III 89, Amyclaeus Pollux.

2) Pind. Pyth. I 65.
(Δώριοι) ἔσχον δ' Ἀμύκλας ὄλβιοι,
Πινδόθεν ὀρνύμενοι, λευκοπώλων Τυνδαριδᾶν βαθύδοξοι γείτονες,
ὧν κλέος ἄνθησεν αἰχμᾶς.

3) Mitth. d. ath. Inst. II p. 392, No. 216.

4) Paus. III 20, 1. Ἐν Θεράπνῃ δὲ κρήνην τὴν Μεσσηΐδα ἰδὼν οἶδα. Λακεδαιμονίων δὲ ἑτέροις ἐστὶν εἰρημένον τὴν Πολυδεύκειαν ὀνομαζομένην ἐφ' ἡμῶν, οὐ τὴν ἐν Θεράπνῃ Μεσσηΐδα καλεῖσθαι τὸ ἀρχαῖον· ἡ δὲ Πολυδεύκειά ἐστιν αὐτή τε ἡ κρήνη καὶ Πολυδεύκους ἱερὸν ἐν δεξιᾷ τῆς ἐς Θεράπνην ὁδοῦ.

Messeidem vocatum esse, videtur fons postea ex fano proximo nominatus, neque principio deo consecratus esse. mirum est templum Polluci soli consecratum. fortasse ut Romae templum fratrum Castoris appellatum, ita hoc fanum ab altero nomen acceperat. si vero Pollucis fanum erat, ille ut deus immortalis a fratre mortali segregatus colebatur, id quod nusquam alibi reperitur.

Therapnae.

Paus. III 20, 2. Θεράπνης δὲ οὐ πόρρω Φοιβαῖον καλούμενόν ἐστιν, ἐν δὲ αὐτῷ Διοσκούρων ναός· καὶ οἱ ἔφηβοι τῷ Ἐνυαλίῳ θύουσιν ἐνταῦθα.

De cultu Castorum Therapnaeo Pausanias nihil addidit, sed ex testimoniis aliis facile intellegitur eo loco a temporibus antiquissimis illos maxime cultos esse.

Alcman (Fr. 5[1]) Dioscuros sub terra Therapnis vivere narrat et in alio fragmento poeta templum ibi situm hoc modo commemorat, (Fr. 4) Καὶ ναὸς ἁγνὸς εὐπύργω Σεράπνας. quod fragmentum cum ex hymno Iovi dedicato afferatur, in quo laudati sunt Dioscuri[2]), poeta templum illorum his verbis mentionem facere videtur.

Si Dioscuri sub terra Therapnis vivebant, hic locus plane sanctissimus erat et iis praecipue dedicatus; id quod verbis Pindaricis confirmatur.

Quae in Isth. I 31 scripsit poeta, Τυνδαρίδας δ' ἐν Ἀχαιοῖς ὑψίπεδον Θεράπνας οἰκέων ἕδος, demonstrant Dioscuros, quamdiu inter homines viverent, Therapnas inhabitavisse.

In Pyth. XI 59.

ἅ,τε τὸν Ἰφικλείδαν
διαφέρει Ἰόλαον
ὑμνητὸν ἐόντα, καί Κάστορος βίαν,
σέ τε, ἄναξ Πολύδευκες, υἱοὶ θεῶν,

---

1) Schol. Eur. Troad. 210. οἰκητήριον δέ φησι τὰς Θεράπνας τῶν Διοσκούρων, παρόσον ὑπὸ τὴν γῆν τῆς Θεράπνης εἶναι λέγονται ζῶντες, ὥς Ἀλκμάν φησιν.

2) cf. Fr. 3. Ὑμέ τε καὶ σφετέρως ἵππως.

τὸ μὲν παρ' ἆμαρ ἕδραισι Θεράπνας,
τὸ δ' οἰκέοντας ἔνδον Ὀλύμπου.

poeta plane docet dimidium vitae in sedibus Therapnaeis fratres agere. gravissima vero mihi videntur verba.

Nem. X 55.

Μεταμειβόμενοι δ' ἐναλλὰξ ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ Δὶ νέμονται, τὰν δ' ὑπὸ κεύθεσι γαίας ἐν γυάλοις Θεράπνας, πότμον ἀμπιπλάντες ὁμοῖον.

In concavis Therapnaeïs igitur domus terrestris Dioscurorum sita erat et templum quoque sanctissimum, nisi Stephanus Byzantius[1]) et interpres antiquus[2]) Pindari erraverunt. Pausanias scripsit Phoebaeum non longe a Therapnis fuisse et ex testimonio Herodoti[3]) apparet id colli Therapnaeo subiectum fuisse, ita ut verisimile videatur templum in Phoebaeo collocatum idem fuisse, quod secundum alios Therapnis situm erat.

De Dioscuris *Pellanae* cultis nihil traditur, sed hoc loco Tyndaridae educati sunt[4]) et ubi heroes aetatem egerunt, ibi memoria eorum evanescere non solet.

Daphni. In hoc novo pago anaglyphum Castorum cum titulo Latino male servato repertum est. C. I. L. III 493[5]). 'Diis Castori et Polluci sacrum domus Augusti dispensator . . . . ' In anaglypho Dioscuri sculpti sunt, stantes, nudi, pilleati, equos secum ducentes, inter eos duae amphorae.

---

1) Steph. Byz. s. v. Θεράπναι, πόλις Λακωνική, ἥν τινες Σπάρτην φασίν. ἔστι καὶ τόπος ἔχων ναὸν τῶν Διοσκούρων διὰ τὸ ἐκεῖσε τούτους τιμᾶσθαι.

2) Schol. Pind. Isth. I 43. Ἰστέον ὅτι τῆς Λακωνικῆς ἐν Θεράπναις τὸ ἱερόν ἐστι τῶν Διοσκούρων.

3) Herod. VI 61. τὸ τῆς Ἑλένης ἱρόν ἐστι ἐν τῇ Θεράπνῃ καλεομένῃ ὕπερθε τοῦ Φοιβηίου ἱροῦ.

4) Paus. III 26, 2. Τραφῆναι δὲ οὐκέτι ἐν τῇ Πέφνῳ φασὶν αὐτούς (sc. τοὺς Τυνδαρίδας), ἀλλὰ Ἑρμῆν τὸν ἐς Πελλάναν κομίσαντα εἶναι.

5) cf. Mitth. d. ath. Inst. II p. 389, No. 208.

Croceae.

Paus. III 21, 4. Θεῶν δὲ αὐτόθι πρὸ μὲν τῆς κώμης Διὸς Κροκεάτα λίθου πεποιημένον ἄγαλμα ἕστηκε, Διόσκουροι δὲ ἐπὶ τῇ λιθοτομίᾳ χαλκοῖ.

Cum simulacrum Iovis ad aditum pagi, illa autem Castorum ad lapicidinas steterint, valde dubito, num Wideus[1]) cultus Iovis et Castorum hoc loco inter se coniunctos fuisse recte coniecerit.

Gytheum.

Paus. III 21, 9. Καλοῦνται δὲ ἐνταῦθα καὶ πύλαι Καστορίδες.

Quod si portae in tutela Castorum erant, — et facillime nomen ita intellegitur, — incolae, nisi fallor, hos ut deos venerabantur. quod confirmatur titulo aetatis Hadrianae Gythei reperto.

Le Bas, Voy. Arch. II No. 245. Ἡ πόλις ἡ Γυθεατῶν Πεδουκαίαν Μαρυλλῖναν, τὴν ἀξιολογωτάτη[ν] καὶ εὐεργέτιν, ἀδελφὴν Λο(υκίου) Μινδίου Δαμοκράτους, τοῦ εὐεργέτου, λθ΄ ἀπὸ Διοσκούρων, μα΄ ἀφ' Ἡρακλέους· ἐπὶ ἐφόρων Ξεναρχίδα τοῦ Δαμίππου, κτλ.

L. Mindius Damocrates, qui originem ab Hercule et Dioscuris ita duxit, ut duo saecula inter eos intercesserint, Spartanus non esse videtur, cum M. Aurelius Aristocrates in titulo Spartano[2]) inter eosdem heroas quatuor computaverit.

Accedunt nummi Gythei, Septimio Severo et Geta imperatoribus cusi, qui imagines Dioscurorum ostendunt.

Jour. Hell. Stud. VII p. 66, No. 7, Tab. O, IV.

Æ. Geta. Dioscuri, stantes, uterque equum secum ducens, inter eos arbor.

Æ. Septimius Severus. Dioscuri, stantes, uterque cum hasta et gladio; inter eos ara a serpente circumdata.

---

1) Lakonische Kulte p. 320.

2) cf. C. I. G. 1353, et infra p. 26.

Cythera.

In hac insula lapis inventus est cum anaglypho et inscriptione[1]):

Μένανδρος ἁρμοστὴρ Τινδαρίδαι[ν].

In anaglypho Dioscuri repraesentati sunt stantes, chlamyde induti, cum pilleis et hastis. equi et amphorae desunt. titulus, ut videtur, initio saeculi IV a. Ch. n. exaratus est.

Praeterea Weilius (l. l.) commemoravit gemmam in pago insulae novo, Potamo appellato, ab ipso visam, cui figurae Fortunae et Castorum insculptae sunt. qui dei sane Sicyoni templo et cultu coniungebantur, in Laconia nusquam. imago gemmae non praesto est, sed in figuris Helenam cum fratribus agnoverim.

Brasiae.

Paus. III 24, 5. Ἄκρα δέ ἐστιν ἐν ταῖς Βρασιαῖς μικρά, προέχουσα ἠρέμα ἐς τὴν θάλασσαν, καὶ ἐπ' αὐτῇ χαλκοῖ ποδιαίων ἑστήκασιν οὐ μείζονες, πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες, οὐκ οἶδα εἰ Διοσκούρους σφᾶς ἢ Κορύβαντας νομίζουσι· τρεῖς δ' οὖν εἰσί, τέταρτον δὲ Ἀθηνᾶς ἄγαλμα.

Tres Dioscuri nusquam inveniuntur et imagines Cabiros repraesentasse verisimile videtur.

Las.

Templum Castorum hic situm fuisse non traditur; fabula autem de urbe ab illis deleta[2]) ficta esse eo consilio videtur, ut nomen Lapersae explicaretur. quod nomen haud scio an e radice περσ-, περρ-, πειρ-, derivatum sit et ad Dioscurorum luminis deorum naturam spectet[3]).

---

1) Bull. Corr. Hell. II p. 365. Riemann Les îles Ioniennes III/IV p. 43. Mitth. d. ath. Inst. V p. 231 (R. Weil.)

2) Strabo VIII p. 364. Τὴν δὲ Λᾶν οἱ Διόσκουροί ποτε ἐκ πολιορκίας ἑλεῖν ἱστοροῦνται, ἀφ' οὗ δὴ Λαπέρσαι προσηγορεύθησαν. Steph. Byz. s. v. Λᾶ, πόλις Λακωνική. Λυκόφρων (v. 95) 'καὶ Λᾶν περήσεις'. ταύτην ἑλόντες οἱ Διόσκουροι Λαπέρσαι ἐκλήθησαν. Secundum Pausaniam (III 24, 10) Achilles urbem vastaverat.

3) cf. Rh. Mus. XXIII p. 346 sq. (Usener.)

Thalamae.

Cum Tyndareus Thalamis sedem habuerit[1]) et Dioscuri hac in vicinitate nati sint, non est dubium quin hic culti sint, id quod Tryphon[2]) et Aelius Dionysius[3]) confirmant. prope Thalamas sita est insula parva, *Pephnos*, ubi Castores primum in lucem editos memoraverat Alcman[4]), et hic Pausanias vidit imagines illis, quae Brasiis constitutae erant, simillimas. quas imagines quominus ad Cabirorum cultum referamus, eo prohibemur, quod Dioscuri in vicinitate maxime colebantur. nihilominus illi dei, nisi fallor, qui in maris litore steterunt et tempestatibus verberati numquam moti sunt, alienigenae et marini erant, qui natura longe a Castoribus Spartanis principio remoti, tamen cum illis postea coaluerunt.

II. Iam si *ad cultum* Dioscurorum apud Spartanos progreditur disputatio, primum mihi agendum videtur *de rebus sacris* deinde *de sacerdotibus* tum *de sententiis*, quae Spartae de Dioscuris deis viguerunt.

---

1) Paus. III 1, 4. Μεσσηνίων δέ ἐστιν ἐς αὐτὸν λόγος Τυνδάρεων φεύγοντα ἐλθεῖν ὡς Ἀφαρέα ἐς τὴν Μεσσηνίαν, εἶναι δὲ Ἀφαρέα τὸν Περιήρους ἀδελφὸν Τυνδάρεω πρὸς μητρός· καὶ οἰκῆσαί τε αὐτὸν τῆς Μεσσηνίας φασὶν ἐν Θαλάμαις, καὶ τοὺς παῖδας ἐνταῦθα οἰκοῦντι αὐτῷ γενέσθαι.

2) Ammonius. v. Θαλαμάς, ὡς ἀγαθάς, καὶ θαλάμας, ὡς μεγάλας, διαφέρειν φησὶ Τρύφων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἐν δευτέρῳ περὶ Ἀττικῆς προσῳδίας. ἐὰν μὲν γὰρ ὀξυτονήσωμεν, δηλώσει τὸ τῶν Διοσκούρων ἱερόν· ἐὰν δὲ βαρυτονήσωμεν, τὰς καταδύσεις μηνύει.

3) Eustath. ad Il. p. 906, 49. Θαλάμαι μὲν βαρυτόνως ζωικαὶ καταδύσεις, Θαλαμαὶ δὲ τόποι ἱεροὶ Διοσκούρων, ὡς Αἴλιος Διονύσιος παρεσημειώσατο. cf. Photius. Θαλάμαι δὲ τόπος ἱερὸς τῶν Διοσκούρων.

4) Paus. III 26, 2. Θαλαμῶν δὲ ἀπέχει σταδίους εἴκοσιν ὀνομαζομένη Πέφνος ἐπὶ θαλάσσῃ. πρόκειται δὲ νησὶς πέτρας τῶν μεγάλων οὐ μείζων, Πέφνος καὶ ταύτῃ τὸ ὄνομα· τεχθῆναι δὲ ἐνταῦθα τοὺς Διοσκούρους φασὶν οἱ Θαλαμᾶται. τοῦτο μὲν δὴ καὶ Ἀλκμᾶνα ἐν ᾄσματι οἶδα εἰπόντα.........ἐν ταύτῃ τῇ νησῖδι ἀγάλματα Διοσκούρων χαλκᾶ, μέγεθος ποδιαῖα, ἐν ὑπαίθρῳ τῆς νησῖδός ἐστιν· ταῦτα ἡ θάλασσα ἀποκινεῖν οὐκ ἐθέλει κατακλύζουσα ὥρᾳ χειμῶνος τὴν πέτραν. τοῦτό τε δὴ θαυμά ἐστι.

Atque de rebus sacris perpauca traduntur, sed satis constat duobus modis Castoribus Spartae honorem habitum esse primum *Theoxeniis* deinde *saltatione armata.*

a. *De Theoxeniis Spartanis* disseruit Denekenius libri de illis scripti p. 14—24. Θεοξένια autem graece nominantur, quae sollemnia sunt latine lectisternia. modus adorandi is erat, ut cibis in mensa sacra paratis dei ad epulandum invitarentur, neque deis solis parata erat cena, sed etiam sacerdotibus et hominibus bene meritis ad dapes sacras aditus patebat. quibus in sollemnibus Helenam cum fratribus coniunctam fuisse forsitan colligas ex

Eur. Hel. 1666—1669.

ὅταν δὲ κάμψῃς καὶ τελευτήσῃς βίον,
θεὸς κεκλήσει καὶ Διοσκόρων μέτα
σπονδῶν μεθέξεις ξένιά τ' ἀνθρώπων πάρα
ἕξεις μεθ' ἡμῶν· Ζεὺς γὰρ ὧδε βούλεται.

sed haec verba num ad cultum Lacedaemonium pertineant, valde dubito. etenim multa de Dioscuris profert poeta ille, quae cum natura deorum Lacedaemoniorum minime congruunt, et multo facilius videntur hi versus ad sacra Atheniensia referri, nisi forte Eustathius erravit, qui Helenam ab Atheniensibus cultam fuisse tradidit[1]).

Plane autem ad diem Dioscurorum festum pertinent, quae a Polyaeno (Strateg. II 31, 4) et Pausania (IV 27, 1) de strategemate Aristodemi narrantur.

Polyaen. II 31, 4. Ἀριστομένης ὁ Μεσσήνιος Λακεδαιμονίων πάνδημον θυσίαν τοῖς Διοσκούροις ἐπιτελούντων μετὰ ἑνὸς φίλου λευκῶν ἵππων ἐπέβησαν ἄμφω καὶ ταῖς κεφαλαῖς περιεθηκάτην χρυσοῦς ἀστέρας· καὶ νυκτὸς ἤδη προϊούσης, ἐπεφάνησαν κατὰ σύμμετρον διάστημα τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἔξω πόλεως μετὰ γυναικῶν καὶ παιδίων πανηγυρίζουσιν. οἱ μὲν δὴ Διοσκούρων ἐπιφάνειαν οἰηθέντες γεγονέναι προῄεσαν ἐς μέθην καὶ ἡδονὴν πλείονα· οἱ δὲ ἀπὸ τῶν ἵππων καταβάντες, τὰ ξίφη σπασάμενοι, πλείστους καταφονεύσαντες αὐτῶν καὶ δὴ ἀφιππεύσαντες ᾤχοντο.

---

1) cf. Eustath. ad Od. p. 1425, 59.

Le Bas-Foucart. Voy. Arch. II 163a.

Οἱ σιτηθέντες ἐπὶ Νικοκ[λέ]ος

Εὐρυβάνασσα	Σιδέκτα	
Τυνδάρης	Σιδέκτα	ἱερεύς
Δεξίμαχος	Πρατόλα	
Σιδέκτας	Πρατόλα	
Δαμοκρατίδας	Εὐδαμίδα	β[ί]δυος
Τιμόδαμος	Δαμοστράτου	ἱερεύς
Ἀριστομένης	Ἀριστομε[νί]δα	ἔφορος
Φιλόστρατος	Σωσ[ι]κράτεος	νομοφύλαξ
Δινοκράτης	Δινοκλέος	γυναικο[νό]μος
Πρατόλας	Δεξιμάχου	
Δαμοκράτης	Ἀρισ[το]κρατίδα	κάρυξ
Εὐκράτης	Εὐρυκράτεος	μάντις
Καλλικράτης	[Κ]λέ[ω]νος	αὐλητάς
Νικανδρίδας	Νικομάχου	κιθαριστάς
Εὐδαιμοκλῆς	(Εὐδαιμοκλέος)	διδάσκαλος κατὰ νόμον
Δαμοκράτης	(Δαμοκράτεος)	ἀρχιτέκτων
Μαντικλῆς	Σωσικράτεος	γλυφεύς
Δαμοκράτης	(Δαμοκράτεος)	χρυσωτάς
Φιλωνίδας	Φιλωνίδα	καρνεονείκας
Ἀριστόπολις	Δαμοχάρισος	κατὰ νόμον
Πρατόνικος	ἐξ Περφίλας	κλωστάς
Ἱππομέδων	Νικάνδρου	π[α]ιανίας
Νικοκλῆς	ἐξ Τυνδάρους	ψιλινοποιός
Ἀνδρόνικος	Νικοκλέος	καθαρτής
Ζήλωτος	ἐκ Παντειμίας	γραματεύς (sic)
Δάμιππος	Ἀγαθοκλέος	ῥογεύς
Στέφανος	Φοιβίδα	ἀναγνώστας
Νικηφόρος	ἐγ Δαμοστράτου	ὑπηρετάς
Δαμοκράτης	Λυσίππου	πάροχος
Εὔνους	ἐξ Ἀριστοκράτεος	ἀρτοκόπος
Κλωδία	κυρὶας Ἀκαμαντίας	στεφανόπωλις
Φιλόδαμος	ἐξ Εὐθυκλέος	μάγιρος
Διοκλῆς	κυρίας Καλλισθενίας	αφετειν (?)

Verbis ἐπὶ Νικολέος aperte indicatur annus, quo homines, qui infra enumerantur, dapibus sacris una fructi sunt.

nam Boeckhius[1]) demonstravit in titulis Spartanis annum per nomen patronomi eponymi indicari; neque enim Denekio, qui Nicoclem praesidem collegii fuisse contendit, assentiri possum; nam in sescentis titulis apud Boeckhium et Le Basium[2]) ne unus quidem alio quam patronomi nomine notatur. accedit quod gentem sacerdotalem Dioscurorum et nomina propinquorum bene scimus et Sidectas Deximachi filius solus ex eponymis in hac gente reperitur. neque nomen Nicocles neque principium nominis Ἀνσε... usquam occurrit. sed de gente postea disseram, revertimur ad titulum. quem qui primus accurate pertractavit, Foucartius demonstravit appellationes, quae versu 12 et sqq. nominibus adscriptae sunt, fere omnes ad munera sacra spectare; eoque permotus est, ut putaret inscriptionem a collegio ad cultum Dioscurorum et Helenae instituto positam esse. contra rectius, ut mihi quidem videtur, Denekenius in inscriptione homines, qui ad cenam publicam invitati sint, enumerari contendit. inter eos, inquit, qui ad epulas vocabantur primarium locum obtinebant homines eius familiae, quae Dioscurorum sacerdotio fungebatur, deinde eligebantur singuli magistratus, denique alii quoque cives eodem honore digni habebantur. at, quaeso, quanam de causa hi, qui fere omnes opifices erant, eo honore digni habebantur, ut ad dapes publicas invitarentur, nisi sacris, quae ante epulum fiebant, adfuerant? quod autem tam multi variique opifices sacris adhibentur, nonne eo apparet inscriptionem ad sollemnia Dioscurorum magna pertinere, quae a sodalitate privata manifesto celebrari non poterant? quod si titulus ad sacra publica recte refertur, facile intellegitur vis verborum κατὰ νόμον (l. 16 et 21) et καρνεονείκας (20), quibus indicantur, qui per legem aut propter victoriam ludis Carneis partam honorem illum adepti erant. de nominibus in vv. 1—5 et 11, quae manifesto ad unam familiam pertinent, dicam, cum *De Sacerdotibus* disseram.

Restat ut nomina vv. 6—10 examinemus. apud Fou-

---

1) C. I. G. I p. 605.

2) cf. e. g. Le Bas. 168a, 168c, 173a; C. I. G. 1237 et passim.

cartium, qui textum cum ectypo diligenter comparatum accuratius edidit, magistratus nominantur hi βίδυος, ἱερεύς, ἔφορος, νομοφύλαξ, γυναικονόμος, ex quibus βίδυος, ἔφορος, νομοφύλαξ muneribus in republica Lacedaemonia fungebantur, sed ἱερεύς et γυναικονόμος [1]) nullo modo inter magistratus publicos collocandi sunt. qui sunt ἱερεύς et γυναικονόμος? recte contulit Foucartius legem sacram de mysteriis Andanianis [2]), unde apparet gynaeconomum curam egisse, ut vestibus lege praescriptis feminae uterentur. feminas autem in sacris Dioscurorum partem habuisse indicat titulus [3]) in honorem Pomponiae Callistonicae constitutus, quae et sacerdos Dioscurorum et ἀγωνοθέτις δ′ magnorum Dioscureorum erat. Gynaeconomus igitur magna in sacris auctoritate est et recte inter summos magistratus nomen eius inseritur. verbum ἱερεύς bis in titulo legitur. Qui prior ita nominatur, aperte sacerdos e gente Dioscurorum est, alter mihi videtur non alius esse atque sacerdos Leucippidarum et Tyndaridarum [4]). quod singuli magistratus e collegiis singulis eligebantur, id fortasse hoc modo explicari poterit, ut senior, qui πρέσβυς vocatur, pro collegio ageret. neque ephororum et nomophylacum nomina offensionem praebent, quippe qui in altissimo dignitatis gradu Spartae collocati fuerint. quod si mirum videatur patronomi nullam fieri mentionem, hoc fortasse eo effectum est, quod ille, magistratus eponymus, praeses epularum ex officio erat, ut cum initio anni indicandi causa nominatus esset, repetito nomine opus non esset.

Restat ut quaeramus, quare bidyus ante sacerdotem et ephorum ponatur. Bidyi enim secundum Pausaniam (III 11,2) cum aliis locis tum in Platinista epheborum certaminibus praeerant, neque magistratus summi loci fuisse videntur. sed

---

1) Athenis sane Gynaeconomi erant secundum Athenaeum (VI 245a) et Aristotelem (Polit. IV 15), sed Spartae nondum aliunde cogniti sunt.

2) Le Bas-Foucart II 326a, v. 26.

3) C. I. G. 1444.

4) cf. Le Bas-Foucart II 162j, p. 142 et infra p. 28.

ante certamina in Platinista ephebi Enyalio in Phoebaeo sacrificabant [1]), in quo vidimus templum Dioscurorum situm fuisse. quo tempore haec certamina solita sint celebrari, non traditur. quod si eodem tempore, quo Dioscurea agebantur, ephebi pugnas suas committebant, facile intellegitur, quare senior bidyorum primo loco magistratuum scriptus sit.

Denekenius quamquam multa de titulis iis recte et accurate disputavit, tamen male erravit, quod in hoc monumentorum genere posuit titulum

C. I. G. 1261. 'Ad imagines marmoreas Dioscurorum, Lacedaemone. Cyriac. p. XXXX N. 260'.

Super imaginibus Θεοῖς σωτῆρσι Διοσκόροις.

Infra easdem Γέροντες ἐπὶ Πο. Με. Πρατολάου τοῦ Δεξιμάχου ὧν | πρέσβ[υ]ς Νεικοκράτης Σειμῆδει Κ. γεροντεύσας δ', πρεσβεύσας β'.

Qui titulus initium catalogi senatorum [2]) est neque ullo modo ad Theoxenia pertinet. alii quidem catalogi deis solis (Θεοῖς) dedicati sunt [3]), sed patronomus, Pratolaus Deximachi filius, e gente Dioscurorum sacerdotali ortus est [4]), ita ut senatorum catalogus nomen deorum eponymi gentiliciorum apte prae se ferat.

b. *Pyrricham* a Dioscuris saltatam esse primus commemoravit Epicharmus [5]). pyrricha est saltatio Dorica et poeta Siciliensis de cultu Lacedaemoniorum testis gravis non videretur, nisi per alios satis constaret Spartae saltationem Dioscuris attributam esse. gravius est testimonium Platonis Leg. VIII p. 796. Οὐδ' ὅσα ἐν τοῖς χοροῖς ἐστιν αὖ μιμήματα προσήκοντα μιμεῖσθαι, παρετέον, κατὰ μὲν τὸν τόπον τόνδε Κουρήτων ἐνόπλια παίγνια, κατὰ δὲ Λακεδαίμονα Διοσκόρων.

---

1) cf. Paus. III 14, 9 et supra p. 10.

2) cf. Le Bas-Foucart II 173 a. Catalogus optime conservatus.

3) C. I. G. 1239 et 1248.

4) Vide infra p. 25.

5) Athen. IV p. 184 f. Καὶ τὴν Ἀθηνᾶν δέ φησιν Ἐπίχαρμος ἐν Μούσαις ἐπαυλῆσαι τοῖς Διοσκόροις τὸν ἐνόπλιον.

Sed saltatio Curetum vel Cretae vel Ephesi [1]) cum cultu lucis orientis coniuncta est, ut inepta comparatio sit, nisi Spartae pyrricha ad cultum pertinuerit. qui autem armati saltant, pugnam evidenter imitantur; et Spartani, qui tibiis canentibus proelium committebant, numeris eisdem sine dubio in pyrricha usi sunt. itaque facile intellegitur, quare cantus Castoreus appellatus sit [2]). nam Castor, qui pyrricham primus saltaverat, Minerva doctus numeris Lacedaemonios instruxit. saltatione a Dioscuris inventa certe Spartani in cultu eorum utebantur. num autem certamina epheborum et pyrricha inter se coniuncta sint, quamquam haud inprobabile esse videtur, demonstrari non potest.

In honorem Dianae saltabant Caryis virgines Lacaenae [3]), cuius saltationis Lucianus [4]) Dioscuros inventores nominat. sed hoc ad cultum non pertinet, cum Dioscuri et Diana Caryatis nusquam apud Lacedaemonios inter se conexi sint, et inventio, nisi fallor, illis ea modo aetate attributa est, qua iuvenes heroici exempla et magistri omnium elegantiarum habebantur.

2. His peractis quaestio *De Sacerdotibus* instituenda est, atque primum agendum est de nominibus initio tituli Le Basii (II 163 a et supra p. 18) positis, quae unius familiae plane sunt; e quibus stemma gentile hoc modo componi potest.

Deximachus aut Tyndares (?)
Sidectas (2 et 3) — Pratolaus (4 et 5)
Eurybanassa Tyndares — Deximachus Sidectas (5)
Pratolaus (11)

---

1) cf. Strab. p. 640.

2) Plut. De Musica 26. Πρὸς οὓς [i. e. τοὺς πολεμικοὺς κινδύνους] οἱ μὲν αὐλοῖς ἐχρῶντο, καθάπερ Λακεδαιμόνιοι, παρ' οἷς τὸ καλούμενον Καστόρειον ηὐλεῖτο μέλος, ὁπότε τοῖς πολεμίοις ἐν κόσμῳ προσῄεσαν μαχεσόμενοι.

3) Paus. III 10, 7.

4) Luc. De Saltat. 10. Λακεδαιμόνιοι μὲν ἄριστοι Ἑλλήνων εἶναι δοκοῦντες παρὰ Πολυδεύκους καὶ Κάστορος καρυατίζειν μαθόντες κτλ.

Fortasse Pratolaus (4) Tyndarae (3) frater Sidectae (2) filius erat, sed verisimilius videtur Sidectae fratrem fuisse, quoniam filius iunior nomen avi recipere non solet. patri Sidectae et Pratolai nomen Deximachum attribuere malim, quod Pratolaus Deximachi, Deximachus Pratolai filius in hac gente per multa saecula reperitur [1]). in alia inscriptione [2]) Sidectas Deximachi filius patronomus eponymus est, sed forma Ε prohibet, quominus titulus ad eandem aetatem referatur. de aetate tituli nostri disseruit Foucartius [3]), qui demonstravit titulos, in quibus praenomina Romana deessent et genetivus singularis nominum in - ης semper formam - εος, non - ους ostenderet, post Christum natum non scriptos esse. itaque titulus noster saeculo primo a. Ch. n. vel antiquiori tempori tribuendus est.

Proxima mentio sacerdotis Dioscurorum exstat in inscriptione Gythei reperta.

Le Bas-Foucart II 245 b. [Ἡ πόλις | Γ. Ἰούλι]ον Εὐ[ρυ]κλέα | [Ἡρκλα]νὸν, Γ. Ἰ[ο]υλίου | [Λάκω]νος υἱὸν, ἔκγονο[ν | Εὐρυκ]λέους, λζ′ ἀπὸ | [Διοσκ]ούρων ἱερέα, κ[αὶ | ἀρχιερέα] τοῦ τῶν [Σ]εβαστῶν | [οἴκου δι]ὰ βίου, ταμ[ί]αν καὶ | [ἀντιστρ]άτηγον τ[ῆ]ς Ἀχαία[ς | δήμου Ῥ]ωμαίων δήμαρχο[ν | καὶ στρα]τηγόν, πρ[ε]σβευτὴ[ν | ἐπαρχία]ς Ἱσπανί[ας] Βαιτικῆ[ς, | πρεσβευ]τὴν το[ῦ Σ]εβαστο[ῦ | ...... λεγίων]ος γ′.

C. Iulius Eurycles Herclanus Laconis filius ab Eurycle, qui Augusto imperatore Laconiae praeerat [4]), ortus est et, si recte Foucartius [l. l. p. 130] titulum C. I. G. 1306 emendavit, Traiano imperatore vixit. filius eius videtur esse C. Iulius Lacon, qui Hadriano imperatore iterum patronomus fuit [5]). si filius magistratum summum Hadriano imperatore obtinuit, pater ad exitum Traiani senex erat

---

1) De significatione nominum Tyndarae et Sidectae recte disseruit Denekenius (p. 22—24). fortasse nomen Eurybanassa, i. e. ea quae late regnat, ad Helenae cultum spectat.

2) Mitth. d. ath. Inst. II p. 385, No. 202.

3) Le Bas II 163 a, p. 84.

4) cf. Strab. p. 363 et 366 et de gente Euryclis Weil Mitth. d. ath. Inst. VI p. 10 sq.

5) C. I. G. 1347.

et Herclanus nepos Euryclis fuisse potest et filius illius Laconis, qui Claudio imperatore imperium Spartae tenuit et cuius nomen cum insignibus Dioscurorum in nummis eius imperatoris inscriptum est[1]. inter Claudium et Traianum mortuos intercesserant anni LXIII et Laco, qui post obitum Euryclis patris, quem ante annum XIX p. Ch. n. mortuum esse locus Strabonis demonstrat, gratiam Caesaris non retinuerat, Claudio imperatore non adulescens erat et filius illo tempore natus Traiani aetate plus quam annos LXX agebat. neque Eurycles filius unicus fuit Laconis, cum in titulo Nerone imperatore exarato[2] memoretur C. Iulius Spartiaticus, quem filium Laconis esse ex lapide Epidauri reperto apparet[3]. si autem in honorem filii Laconis Nerone imperatore statuae constitutae sunt et pater Laconis auxilium Augusto in proelio Actiaco tulerat[4], minime mihi videtur verisimile alterum filium Traiano imperatore honores Romanos assecutum esse. fortasse autem Laconis filius Lacon erat, nam idem nomen patri et filio datum Spartae saepe invenitur[5]. Herclanus igitur Laconis filius, Laconis nepos, Euryclis pronepos erat. Laco Laconis filius in titulis Spartanis sane non reperitur, sed Herclanus officiis Romanis functus est et fortasse pater Romae non Spartae domicilium habuerat.

Herclanus autem sacerdotem XXXVII a Dioscuris se esse gloriatur. quaerendum igitur est, utrum ille de gente Sidectae et Pratolai oriundus sit, an proavus eius cum imperio sacerdotium hereditarium sibi arrogaverit. quod cum per se minime verisimile esse videatur, certe affinitas inter

---

1) Cat. Brit. Mus. Pelop. p. 127, N. 66, Tab. XXV 7.
Æ. Caput barbatum | Capita Dioscurorum.

2) C. I. A. III 805. Γά. Ἰούλιον Σπαρτια|τικὸν ἀρχιερέα θε|-[ῶν] Σεβαστῶν κ[αὶ | γέ]νους Σε[β]αστῶν | ἐκ τοῦ κοινοῦ τῆ[ς] | Ἀχαΐας διὰ βίου πρῶ|τον τῶν ἀπ' αἰῶνος | κτλ.

3) Cavvadias Fouilles d'Epidaure No. 197.
Γ. Ἰούλιος Λάκωνος υἱὸς Σπαρτιατικός.

4) Plut. Anton. 67.

5) E. g. Le Bas II 163a, vs. 13, 16, 17, 19. C. I. G. 1329.

Euryclum et Pratolaum intercedens emergit ex inscriptionibus in Acropoli Atheniensi et Spartae repertis.

C. I. A. III 801 a. [ὁ δῆμος | Γάϊ]ον Ἰούλιον Λ[αχάρους υἱὸν] | Εὐρυκλέα ἀρετῆ[ς ἕνεκεν].

b. [ὁ δῆμος | Γάϊο]ν Ἰ[ο]ύλιον Δεξίμαχον | [Ε]ὐρυκλέους υἱόν.

C. I. G. 1299. [Μ. Ἀγρίπ]παν, ὕπατον | [τὸ γ', δημ]αρχικῆς ἐξου[σίας | τὸ . . Ἀ]γριππιασταὶ [ὧν | πρέσβυς Γά]ϊος Ἰούλιος | [Δε]ξίμαχος Πρα[τολάου].

Quae si computamus, verisimile videtur esse Euryclem filiam Deximachi uxorem duxisse. C. Iulius Deximachus autem, socer Euryclis, ipse Pratolai filius est. quae cum ita sint, cum eadem nomina in gente sacerdotum iterata legantur [1]), mihi persuasum est sacerdotium Dioscurorum hereditarium a proavia ad Herclanum pervenisse. si pater C. Iulii Deximachi Pratolaus ille Deximachi filius est, qui supra [2]) nominatus est, titulus circa medium saeculum a. Ch. n. primum exaratus est. sed haec nomina constanter in gente repetuntur, ita ut aetas tituli certis finibus circumscribi non possit.

C. I. G. 1340. 'Spartae prope portam orientalem' Ἡ πόλις Πόπλι. Μέμ. Δεξίμαχον Πρατολάου, φιλοκαίσαρα καὶ φιλόπατριν, ἱερέα μβ' ἀπὸ Διοσκούρων, αἰώνιον ἀριστοπολειτευτήν, τὸν γυμνασίαρχον, εὐνοίας χάριν· προσδεξαμένων τὸ ἀνάλωμα Μεμμίων Μνάσωνος καὶ Πραταλάου τῶν υἱῶν αὐτοῦ.

P. Memmius Deximachus Pratolai filius, sacerdos XLII Dioscurorum cum eadem gente propinquitate evidenter coniunctus est; vixit autem sine dubio sub finem saeculi alterius post Christum, nam sacerdos XLIIII Caracalla imperatore Spartae vivebat. pater Deximachi, ut opinor, ille P. Memmius Pratolaus Deximachi filius [3]) ephorus et patronomus eponymus est, qui catalogum senatorum deis gentiliciis dedicavit. fortasse idem est P. Memmius Pratolaus,

1) Le Bas-Foucart II 163a.
2) Vide supra p. 22.
3) C. I. G. 1240 et 1261.

qui cum uxore suis pecuniis portam templi renovavit [1]). si titulum C. I. G. 1240 cum aliis titulis comparaveris [2]), facile tibi apparebit Pratolaum Antoninis imperatoribus floruisse [circa 160—170 p. Ch. n.]. pater eius Deximachus fortasse filius erat illius Protolai, qui Nerone imperatore uxorem duxit Pasichaream Timocratae Epidaurii filiam [3]). P. Memmii Deximachi sacerdotis duo filii in titulo nominantur, sed sacerdotium hac in gente per longius temporis spatium hereditarium fuisse demonstrari non potest.

C. I. G. 1353. ʻIn Lacedaemonia ad basin marmoream'

Ἡ πόλις Μ. Αὐρήλιον Ἀριστοκράτη Δαμαινέτου, ἱερέα κατὰ γένος ἀπὸ Ἡρακλέος μη', ἀπὸ Διοσκούρων μδ', αἰώνιον γυμνασίαρχον μετὰ Διονυσίου καὶ Ἀριστοτέλους καὶ πολίτην καὶ γυμνασίαρχον ἀσύνκριτον, προσδεξαμένων τὸ ἀνάλωμα κτλ.

C. I. G. 1355.

Ἡ πόλις Μ. Αὐρ. Πανκρατίδαν Ἑλλανίκου, κτλ. προσδεξαμένου τὸ ἀνάλωμα τοῦ πανταρίστου Μ. Αὐρηλ. Ἀριστοκράτους τοῦ Δαμαινέτου, ἱερέως κατὰ γένος ἀπὸ Ἡρακλέος μη', ἀπὸ Διοσκούρων [μδ'], τοῦ φίλου. ʻSi M. Aurelius Pancratidas Hellanici filius est frater Aurelii Aristotelis (1321 et 1453), quod probabile est, titulus aetatis est Caracallae'. de origine autem Aristocratae nihil constat, sed fortasse mater eius filia Deximachi erat.

Gentem Deximachi non unicam fuisse Spartae, quae originem a Dioscuris deduceret, docet titulus apud Le Bas II 174. Ἡ πόλις | [Γάϊον Π]ομπώνιον Ἀριστέαν Ἀλκάστου | [Ἡρα]κλείδην καὶ Διοσκουρίδην, βοαγόν, | [διαβ]έτην, ἀποδέκτην ἐπιμελητὴν | [τῶν ἀγωνοθετικῶ]ν χρημάτων,

---

1) Le Bas-Foucart II 162 g. Πο. Μέμμιος Πρατόλας καὶ Οὐολουσσήνη Ὀλυμπίχα ὅπερ εἰς (sic) τὴν πεῖλαν ἐποίησαν ἐκ τῶν ἰδίων Διοσκούροις Σωτῆρσι.

2) cf. Foucartius ad Le Bas II 173b.

3) Cavvadias Fouilles d'Epidaure No. 208—209.

ἀγωνοθέτ | [ην . . . .] Ἀντωνείνου | [προσδεξαμένου τὸ ἀνάλωμα Γοργ]ίππ[ου?

Stemma gentis a Foucartio constructum est

Ἄλκαστος Τιμοκρίτου (Le Bas 173a, 17)
(C. I. G. 1241, 13)

Γ. Πομπώνιος Ἆγις (C. I. G. 1239, 1351, 1249) — Γ. Πομπώνιος Ἀριστέας

Γ. Πομπώνιος Ἀριστέας → Γ. Πομπώνιος Ἄλκαστος (C. I. G. 1242, 1247, 1253, 1351)

C. Pomponius Aristeas sacerdos Dioscurorum non erat, id quod bene cum illis, quae supra disputavi, congruit, cum eodem tempore viveret, quo sacerdotes, qui inter Herclanum et Deximachum munere fungebantur. nisi fallor, eiusdem gentis est Sex. Pomponius Hilarianus Alcasti filius Lacedaemonius [1]), qui Epidauri tabulam Dioscuris dedicavit. aetas tituli non satis constat, sed fortasse Hilarianus Alcasti alterius filius erat.

C. I. G. 1444.

Πονπ[ω]νίαν Καλλ[ι]στονείκην Ἀριστ[έ]ου, ἱέρεια[ν] διὰ [β]ίου [κα]ὶ διὰ γένους τῆς ἐπιφ[ανε]στάτης θεοῦ Ἀρτέμιδ[ος] Ὀ[ρ]θείας, κ[αὶ] τῶν συνκ[α]θειδρυμένων αὐτῇ θ[ε]ῶν, καὶ Μοιρῶν Λαχέσεων κ[αὶ] Ἀφροδείτης ἐνοπλίου, καὶ Ἀσκλειπιοῦ Σχοινάτα ἐ[ν] τῷ Ἕλει, καὶ Ἀρτέμιδ[ο]ς πατριώτιδος ἐν Πλείαις, καὶ Δ[ιο]σκούρων καὶ τὸ [δ'] ἀγωνο[θέτιν] τῶν σεμν[ο]τάτων Διοσκο[υ]ρείων, προσδεξαμένης τ[ὸ] ἀνάλωμα τῆς ἀξιολογ[ωτά]της καὶ σωφρον[ε]στάτη[ς] μητρὸς αὐτῆς Κλα(υδίας) Πώλλ[ης] τῆς Εὐδάμου.

Pomponia Callistonica igitur filia erat Pomponii Aristeae et Claudiae Pollae Eudami filiae. Claudius Eudamus Spartiatici filius [2]) notus est ex titulis C. I. G. 1445 et 1446, ex quibus apparet ei uxorem fuisse Claudiam Damostheniam et filiam eiusdem nominis et filium Ti. Claudium Aelium Pratolaum Damocratiden. ope titulorum Εφ. Αρχ.

---

1) Cavvadias Fouilles d'Epidaure No. 145.

2) Si Spartiaticus pater Ti. Cl. Aristotelis erat, Eudamus Caracalla imperatore vivebat. cf. C. I. G. 1350 et adn.

1892, p. 19, No. 1 et 2. tempus cui attribuendus est, accuratius determinari potest. Claudia Damosthenia Eudami uxor filia erat Ti. Claudii Pratolai Brasidae filii et Brasidas, ut videtur, ille Brasidas Brasidae filius erat, qui non ante M. Aurelium vixit[1]); Brasidas senior, qui patronomus eponymus erat, filius esse videtur Harmonici illius, qui aetate Hadrianea senator erat[2]). ergo Pratolaus pronepos Harmonici Commodo et Septimio Severo imperatoribus floruit, eiusque filia Claudia Damosthenia Caracalla imperatore vixit, id quod cum tempore Eudami supra indicato bene congruit. quae si recte conieci, Pomponia neptis Eudami medio saeculo tertio p. Ch. n. floruit et pater eius Aristeas pronepos esse potest Pomponii Alcasti, cuius pater se e gente Dioscurorum ortum esse gloriatur. neque alio modo intelligi potest unde Pomponia sacerdos Dioscurorum διὰ βίου καὶ διὰ γένους appellari possit. nam in titulis gentis Claudii Brasidae multa et varia sacerdotia commemorantur, Dioscurorum nusquam, ut plane manifestum sit per matrem Pomponiam sacerdotem fieri non potuisse.

Εφ. Αρχ. 1892, p. 23, No. 6. [Ἀρ]χιερέα τῶν Σεβαστ[ῶν | καὶ;] Διός, τὸν ἄριστον κ[αὶ | ἐκ τ]ῶν ἀρίστων, τὸν ἀξι(ολογώτατον) Σέ|[κστο]ν Εὔδαμον Ὀνασικράτε[ος| . .] ἀπὸ Ἡρακλέους, μζ′ [ἀπὸ | τῶν] Διοσκούρων, ἱερέα καὶ [ἀ|γω]νοθέτην διὰ βίου κ[αὶ | διὰ] γένους τῶν τε Διο[σ | κο]ύρων καὶ τοῦ ἀγῶν[ος | τῶν] μεγάλων Διοσκουρ[εί | ων] κτλ.

Titulus Amyclis repertus est, manifesto tamen ad sacra Lacedaemonia pertinet. cum Sextus Eudamus sacerdos XLVII e Dioscuris esset, titulus saeculo tertio p. Ch. n. exeunti attribuendus est, sed de stemmate Eudami nihil constat.

Le Bas-Foucart II 162 j, p. 142. Ἀγαθᾷ | τύχα | Μ. Αὐρ. Ζεύξιππορ ὁ κ[αὶ] | Κλέανδρορ Φιλομούσω, ἱε|ρεὺρ

---

1) C. I. G. 1329.
2) C. I. G. 1346 et Le Bas-Foucart II 173 a.

Λευκιππίδων καὶ Τινδαρι|δᾶν, βουαγὸρ μικκιχιδδομέ|νων, ἐπὶ πατρονόμω Πο. Αἰλίω | Δαμοκρατίδα τῶ Ἀλκανδρίδα ἀρ|χιερέορ τῶ Σεβαστῶ, κτλ.

M. Aurelium Zeuxippum Cleandrum Philomusi filium nusquam alibi repperi, sed patronomus eponymus P. Aelius Damocratides Hadriano imperatore vixit[1]). itaque hic titulus ineunte vel medio saeculo altero p. Ch. n. exaratus est.

3. Ut recte quid *senserint Lacedaemonii de Dioscuris* intellegamus, non omnibus testimoniis, quae ad Dioscuros in Laconia viventes pertinent, uti possumus; sed illa tantum necesse est seligamus, quae aut e fontibus Spartanis hausta sunt, aut ad cultum et sententias Spartanorum plane et evidenter spectant. alia testimonia fortasse has sententias aeque exprimunt, sed omnia fere cum fabula quadam coniuncta sunt, neque recte, ut opinor, ex his argumenta ducere possumus, antequam fabulas ipsas perscrutati simus et in elementa ita diviserimus, ut appareat quantum Spartanum, quantum alienum sit. itaque initium feci non ab Homero, quamquam ea, quae in Iliade[2]) de Tyndaridis narrantur, a testimoniis Laconicis non discrepant, sed ab Alcmane, qui poeta diu Spartae vixit et Spartanorum in usum carmina scripsit, is igitur saepe in versibus Dioscuros celebravit; sed in fragmentis, quibus utimur, res gestae potius et vita inter homines acta tanguntur quam divina et immortalis natura.

Alcman ap. Schol. Eurip. Troad. 210.

Οἰκητήριόν φασι τὰς Θεράπνας τῶν Διοσκούρων παρόσον ὑπὸ τὴν γῆν τῆς Θεράπνης εἶναι λέγονται ζῶντες, ὡς Ἀλκμάν φησιν.

Poeta igitur Dioscuros finxit non mortuos, sed sub terra Therapnis viventes, i. e. heroes, qui ut alii mortui a Lacedaemoniis donis sacris colebantur. neque mutatur

---

1) cf. Le Bas II 179.

2) Hom. Il. Γ 243.

ὣς φάτο, τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα
ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐν πατρίδι γαίῃ.

opinio de natura Dioscurorum, si alternantes unum diem sub terra alterum apud deos degunt. nam mortui ad inferos descendunt neque in locis, quos vivi inhabitaverunt, manent. quamquam fortasse Spartani, qui in anaglyphis sepulcralibus se mortuos maxime coluisse ostenderunt, hos quoque in sepulcris habitare crediderunt. de cultu mortuis apud Spartanos tributo et de anaglyphis interpretandis ab hoc loco alienum est dicere, sed monendum est inter dona, quae mortuis vel deis a cultoribus afferantur, gallum semper apparere et semper fere post solium serpentem sculptum esse. si autem contulerimus anaglypha Dioscuris dedicata, reperiemus gallum et serpentem cum fratribus sociatos[1]. neque aliter explicari posse videntur amphorae, quae et in nummis[2] et in anaglyphis[3] inter Dioscurorum insignia saepissime inveniuntur, quarum formae haud dissimiles sunt iis, quibus Athenienses in funeribus utebantur[4] et pro monumentis ad sepulcra constituebant. de amphoris sane in funeribus Lacedaemoniis usitatis testimonia desunt.

Ad vitam Therapnaeam subterraneam pertinent loci Pindari supra (p. 10) laudati[5]. attamen apud Pindarum

---

1) Galli Mitth. d. ath. Inst. II p. 389, No. 209 et, ut videtur, p. 391, No. 213. Serpentes Mitth. d. ath. Inst. II p. 389, No. 209 et p. 394, No. 220.

2) Cat. Brit. Mus. Peloponnesus p. 122 sqq.

Nos. 6—9 Caput Herculis barbati laureati. | Amphora inter pilleos stellatos.

Nos. 10—13. Idem. | Amphora serpente circumdata inter pilleos stellatos.

Nos. 35—40. Capita Dioscurorum laur. et pileat. | Duae amphorae serpentibus circumdatae. cf. Id. Tab. 24, Nos. 4, 11, 14. nummi omnes ante annum 32 a. Ch. n. cusi sunt.

3) Anaglypha Mitth. d. ath. Inst. II p. 386, No. 204 et p. 389, No. 208, 209 et p. 390, No. 210.

4) cf. Baumeister Denkm. d. class. Alterth. p. 1975, Fig. 2114—16. in Magna Graecia consuetudo similis obtinebat. cf. l. l. p. 2005, Fig. 2157.

5) Pind. Nem. X 101 et Pyth. XI 91. cf. Theog. vv. 1087 sqq.

Κάστορ καὶ Πολύδευκες, οἳ ἐν Λακεδαίμονι δίῃ
ναίετ' ἐπ' Εὐρώτᾳ καλλιρόῳ ποταμῷ,

cum vita Therapnis acta alternat vita apud patrem Iovem. illa, quae Graece ἑτερημερία vocatur, cum ad fabulam mortis pertineat, hoc loco tractanda non esse mihi videtur.

Mihi igitur persuasum est Spartanos credidisse Dioscuros deos inferos esse, qui sub terra vel in cavernis vel in sepulcris viverent et agerent, iisque insignia dedisse, quae in cultu mortuorum rite adhiberentur. neque aliter res esse videtur, si tractamus titulum Vurliensem[1], cuius anaglyphum illis sepulcralibus simillimum esse Furtwaenglerus monuit; Pleistiades enim numen deorum inferorum metuens hanc columnam constituit, quae iram divinam averteret; i. e. Pleistiadi Dioscuri non dei servatores videbantur.

Hoc loco de signo Dioscurorum apud Spartanos vetustissimo, quod Plutarchus descripsit, perpauca addere liceat.

Plut. De Frat. Am. 1. Τὰ παλαιὰ τῶν Διοσκούρων ἀφιδρύματα οἱ Σπαρτιᾶται δόκανα καλοῦσι· ἔστι δὲ δύο ξύλα παράλληλα δυσὶ πλαγίοις ἐπεζευγμένα, καὶ δοκεῖ τῷ φιλαδέλφῳ τῶν θεῶν οἰκεῖον εἶναι τοῦ ἀναθήματος τὸ κοινὸν καὶ ἀδιαίρετον.

Cuius simulacri nomen et originem E. Curtius[2]) e postibus sepulcri sacri Therapnis siti deducere conatus est. quam explanationem primo obtutu confirmare videntur et quod Pausanias[3]) de portis Gythiensibus tradidit et quod legitur in Etym. Magn. s. v. Δόκανα, τάφοι τινὲς ἐν Λακεδαιμονίᾳ· παρὰ τὸ δέξασθαι τοὺς Τυνδαρίδας, φαντασίαν ἔχοντες (libri ἐχούσας) τάφων ἀνεῳγμένων.

Sed examinemus accuratius. apud Plutarchum δόκανα statuae Dioscurorum sunt; nam quo modo, quaeso, postes sepulcri imago amoris fraterni esse possunt? antiquissima imago lignum infabricatum est. si autem duo fratres repraesentandi sunt, quid facilius et naturae magis accommo-

---

εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακόν, αὐτὸς ἔχοιμι·
εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοί, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.

1) Mitth. d. ath. Inst. VIII p. 372. cf. supra p. 6.

2) Curtius Peloponnesi t. II p. 316.

3) Paus. III 21, 9.

datum est quam ut duo tigna trabibus transversis coniungantur? cum aedes antiquissimae ex lateribus crudis et trabibus constructae essent, postes et limina necesse erant persimilia illi imagini esse videri et facile intelligitur, quo modo portae Castorides appellari potuerint. nomen autem simulacri non a postibus sepulcri, sed a trabibus, quae graece δοκοί vocantur, derivatum est. sed sepulcrum Dioscurorum vetustissima aedes erat et verisimile videtur aedificium antiqui moris fuisse, i. e. portam huius formae habuisse. neque mirum`esset si templum usque ad aetatem Romanam servatum esset, nam templum Iunonis Olympiae numquam alio modo aedificatum est. ex aperta porta templi Therapnaei, imaginibus iam diu deletis, definitio Etymologici Magni derivata est.

Ceterum Spartani Dioscuros non solum in numero heroum aut deorum inferorum, qui donis et precibus placandi sunt, sed etiam in superorum habebant neque demum aetatibus inferioribus, ita ut per sententias alienas Lacedaemonios moveri crederes, sed iam ante bellum Persicum Dioscuri cum sorore Helena sicut servatores reipublicae colebantur. quod clare testatur Herodotus[1]), qui tradidit Lacedaemonios post contentionem inter Cleomenem et Demaratum exortam desiisse duos reges simul in hostem mittere, sed unum regem cum uno Tyndaride domi remansisse, alterum cum altero fratre ad bellum profectum esse. usque ad illud tempus, inquit, ambo Dioscuri reges comitabantur. secundum Xenophontem[2]) rex Lacedaemoniorum bello exorto primum in urbe Iovi duci et qui cum

---

1) Herod. V 75. Ἀπὸ δὲ ταύτης τῆς διχοστασίης ἐτέθη νόμος ἐν Σπάρτῃ μὴ ἐξεῖναι ἕπεσθαι ἀμφοτέρους τοὺς βασιλέας ἐξιούσης στρατιῆς· τέως γὰρ ἀμφότεροι εἵποντο· παραλυομένου δὲ τούτων τοῦ ἑτέρου καταλείπεσθαι καὶ τῶν Τυνδαριδέων τὸν ἕτερον· πρὸ τοῦ γὰρ δὴ καὶ οὗτοι ἀμφότεροι ἐπίκλητοί σφι ἐόντες εἵποντο.

2) Xen. Resp. Lac. XIII 2, 3. θύει [ὁ βασιλεύς] μὲν γὰρ πρῶτον, οἴκοι ὢν Διὶ Ἀγήτορι καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ· ἢν δὲ ἐνταῦθα καλλιερήσῃ, λαβὼν ὁ πυρφόρος πῦρ ἀπὸ τοῦ βωμοῦ προηγεῖται ἐπὶ τὰ ὅρια τῆς χώρας· ὁ δὲ βασιλεὺς ἐκεῖ αὖ θύεται Διὶ καὶ Ἀθηνᾷ. ὅταν δὲ ἀμφοῖν τούτοιν τοῖν θεοῖν καλλιερηθῇ, τότε διαβαίνει τὰ ὅρια τῆς χώρας.

illo colebantur, deinde in finibus Laconicis Iovi et Minervae sacrificabat. et recte, ut opinor, monuit Wideus [1]) illos, qui cum Iove colerentur, Dioscuros et Minervam fuisse, quibus omnibus in foro scrutario arae consecratae erant [2]). neque cognomen Ἀμβούλιοι hac a sententia discrepat, quod e verbo βουλή derivatur et eos qui consilium dant, significat. qui autem duces sunt, illi etiam in periculo belli servant et Dioscuri una cum Helena, ut ferebatur, Spartam ab impetu nocturno Messeniorum defenderunt [3]).

In titulis etiam commemorantur Dioscuri Servatores. C. I. G. 1261 Θεοῖς σωτῆρσι Διοσκόροις et tituli fragmentum ex schedis Fourmonti in C. I. G. 1421 . . . . [τὴν ἐξ Ἄργους ἀσ]πίδα, Ἴσθμι[α], κοινοὺς Ἀσίας καὶ ἄλλους πενταετηρικοὺς πλ[ε]ίστους [ἀ]γῶνας, Διοσκούροις σωτῆρσι καὶ Ἑρμᾷ ἀγωνίῳ ἐστεφανωμένος καὶ Οὐ[ρ]άνια β′ καὶ Λεωνίδεια πάλην, πανκράτιον.

Qui titulus plane propter victorias ludis partas Dioscuris Servatoribus et Mercurio dedicatus est et supra (p. 7) vidimus in Dromo Lacedaemonio imagines fuisse Dioscurorum Ἀφετηρίων.

Ut Alcman [4]) equos Dioscurorum carmine celebravit, ita in monumentis [5]) aetatis Romanae Dioscuri cum equis repraesentati sunt. sed nihilominus mihi non persuasum est equorum in cultu Dioscurorum partem fuisse, nam fragmenta Alcmanis ad vitam inter homines mortalem spectant et monumenta aetatis tam recentis nihil certi de cultu vetere indicant. concedo sane equos saepissime

---

1) Lak. Kulte p. 13.

2) Paus. III 13, 6. et supra p. 7.

3) Paus. IV 16, 9. Διαλιπὼν δὲ [sc. Ἀριστομένης] ὅσον ἀκεσθῆναι τὰ τραῦμα, ἐς μὲν αὐτὴν Σπάρτην ἔσοδον ποιούμενος νύκτωρ, ἀπετράπετο ὑπὸ φασμάτων Ἑλένης καὶ Διοσκούρων. cf. IV 16, 5. in pugna Stenycleria Dioscuri Lacedaemonios servant.

4) Alcman Frg. 3, 9, 12.

5) In anaglyphis Mitth. d. ath. Inst. II p. 385, 389, 391, 392, 394. In nummis, Cat. Brit. Mus. Pelop. p. 127, No. 62 Euryclis et p. 129, No. 73 Hadriani imperatoris. cf. Tab. XXV Nos. 5 et 13.

in monumentis Graecis aut sepulcralibus aut ad cultum mortuorum pertinentibus repraesentari; rarissime[1]) autem in monumentis Laconicis inveniuntur. itaque imagines equorum, ut opinor, Spartanis mortis aut vitae apud inferos agendae memoriam non inducebant. immo vero Spartani, cum Soli equos sacrificaverint et per nomen Leucippi soceri Dioscurorum eum, qui equos candidos habet[2]), evidenter indicaverint, equos inter deorum, qui lucem adducunt, insignia habuisse videntur.

Quaerendum nunc est de Dioscuris deis marinis. apud Graecos sane saepissime Dioscuri ut dei marini colebantur, sed perpauca indicia huius cultus in Laconia reperiuntur. neque mirum est. nam Spartani numquam mercatores aut nautae erant. de signis aereis Brasiis et Pephni locatis supra (p. 13) monui. neque etiam stellae in nummis Lacedaemoniis expressae certe indicant Dioscuros in Laconia deos marinos fuisse; nam illi nummi non ante saeculum tertium p. Ch. n. cusi sunt[3]), neque in monumentis Laconicis prius stellae Dioscurorum apparent quam per civitates Graecas haec insignia ubique recepta erant.

Neque excipiendum est quod Plutarchus in vita Lysandri cap. 12 de proelio apud Αἰγὸς ποταμοὺς commisso narrat:

Ἦσαν δέ τινες οἳ τοὺς Διοσκούρους ἐπὶ τῆς Λυσάνδρου νεὼς ἑκατέρωθεν, ὅτε τοῦ λιμένος ἐξέπλει πρῶτον ἐπὶ τοὺς πολεμίους, ἄστρα τοῖς οἴαξιν ἐπιλάμψαι λέγοντες.

Nam iam vidimus Dioscuros deos Servatores, qui Spartanos pugnaturos comitarentur, fuisse. qui cum per speciem equitum armis splendidis praeditorum[4]) in pugna na-

1) cf. Mitth. d. ath. Inst. VII p. 160, Tab. 7.

2) Aut fortasse qui in forma equi albi se ostendit. sed haec quaestio ad originem deorum ducit neque hoc loco disceptari potest.

3) cf. e. g. Cat. Brit. Mus. Peloponnesus p. 121, No. 2, Tab. XXIV 2, Rev. Clava inter stellas duas; p. 128, No. 72, Tab. XXV 12, Claudii imp. Rev. Pilei et stellae.

4) cf. Dioscuri ad pugnam Sagrensem et apud Romanos Cic. De Nat. Deor. II 2, 6 et III 5, 11 et 13.

vali se ostendere non possent, per speciem stellarum, quae apud Graecos maritimos per multa saecula insignia illorum deorum erant, apparere credebantur. minime igitur e Plutarcho concludi potest a Lacedaemoniis Dioscuros ut deos marinos cultos esse, qui se in tempestatibus, non proeliis ostendere solerent. et Pausanias [1]) idem indicat, qui dona Delphis a Lacedaemoniis dedicata ita descripsit, ut Dioscuri non apud Neptunum sed apud Iovem Apollinem Dianam deos Laconicos collocari viderentur. itaque mihi persuasum est Dioscuros ab origine in Laconia nequaquam deos marinos fuisse.

Restat ut de monumento Spartae reperto et a Marxio descripto et accurate tractato [2]) pauca disseram. duo homines parvae staturae oribus adversis stant ab utraque parte mulieris cuiusdam, quae genu posito parturire videtur. qui sunt illi, qui hanc feminam adiuvant? Marxius quidem Dioscuros eos appellavit et monuit templum eorum Spartae et Argis [3]) prope Ilithyiae fuisse; et sane dei, qui in periculis auxilium ferunt, convenienter parienti adsunt; quamquam, ut Marxius concessit, de Dioscuris deis Nixis testimonia omnino deficiunt neque habemus scientiam satis magnam de deis Lacedaemoniis minorum gentium et de heroibus, ut duos adiutores sine gravi causa Castores nominemus.

At nonne ad Dioscuros deos medicos spectat fabula, quam Theopompus apud Suidam s. v. Φορμίων de Phormione duce Crotoniata narravit?

Ἦν δὲ Κροτωνιάτης, καὶ ἐν τῇ ἐπὶ Σάγρᾳ μάχῃ ἐτρώθη. δυσιάτου δ' ὄντος τοῦ τραύματος χρησμὸν ἔλαβεν εἰς Λακεδαίμονα ἐλθεῖν· τοῦτον γὰρ αὐτοῦ ἰατρὸν ἔσεσθαι ὃς ἂν αὐτὸν πρῶτος καλέσειεν ἐπὶ δεῖπνον· ὡς οὖν ἧκεν εἰς τὴν Σπάρτην, καταβάντα αὐτὸν ἀπὸ το ὀχήμαῦτος ἐκάλεσεν ἐπὶ δεῖπνον νεανίσκος, δειπνήσαντος δὲ ἤρετο ἐφ' ὅ τι ἥκει· ὡς δὲ ἤκουσε περὶ τοῦ χρησμοῦ, ἀποξύσας τοῦ δόρατος

1) Paus. X 9, 7.
2) Mitth. d. ath. Inst. X p. 177, Tab. VI.
3) Paus. III 14, 6 et II 22, 6.

ἐπιτίθησιν. ὡς δὲ ἀνέλυσαν ἀπὸ τοῦ δείπνου, δοκῶν ἀναβαίνειν ἐπὶ τὸ ἅρμα τῆς θύρας αὑτοῦ τοῦ οἴκου τοῦ ἐν Κρότωνι ἐπιλαμβάνεται. ἀλλὰ καὶ θεοξένια αὐτοῦ ἄγοντος ἐκάλεσαν αὐτὸν οἱ Διόσκοροι πρὸς Βάττον ἐς Κυρήνην, καὶ ἀνέστη τε ἔχων σιλφίου καυλόν.

Minime ut opinor. nam Achilles eodem modo Telephum curavit et Leonymus collega Phormionis ab Aiace Oileo in eadem pugna vulneratus se Leucam in insulam contulit, ut ille, qui eum vulnerasset, sanitatem restitueret [1]. minime igitur hac fabula demonstratur deos medicos apud Spartanos Dioscuros fuisse.

Sed haec hactenus. quaestiones de natura Dioscurorum et de affinitate inter eos deosque lucis intercedente non ad Laconiam solam pertinent neque prius absolvi possunt quam omnia testimonia de cultu apud Graecos pertractaverimus.

---

1) Paus. III 19, 12. cf. Meineke Fragm. Com. Graec. II p. 1230 et sqq.

VITA.

Natus sum Iacobus Morton Paton Novi Eboraci in Republica Americana a. h. s. LXIII, a. d. IIII Id. Mai, patre Thoma, matre Elisabetha a gente Allen, quibus gaudeo superstitibus. fidei addictus sum evangelicae.

Elementis doctrinae in scholis privatis imbutus, autumno a. 1879 in universitatem Novo-Eboracensem receptus, vere anno 1883 examine superato ad primum in artibus gradum admissus sum. eodem anno Cantabrigiam in universitatem Harvardianam transmigravi, ubi ad gradum baccalaurei in artibus vere a. 1884 iterum admissus, per quatuor annos studiis philologis operam dedi. ad collegium Medioburgense a. 1887 vocatus, per quatuor annos litteras latinas ibi docui. anno 1891, ut studia graeca longo intervallo intermissa repeterem, Bonnam me contuli, cuius universitatis Fridericiae Guilelmiae Rhenanae per quinquies senos menses civis fui, nisi quod hiemem a. 1890—91 studia artis antiquae Athenis in schola Americana persecutus sum.

Docuerunt me viri clarissimi Baird, Johnson†, Martin†, alii Novo-Eboracenses; Allen, Fowler, Goodwin, Greenough, Lane, Lanman, Norton, Smith, White Harvardiani; Brinkmann, Buecheler, Jacobi, Loeschcke, Nissen, Usener, Wiedemann Bonnenses. seminarii philologi Harvardiani per quater senos menses sodalis fui. exercitationibus ut interessem, benigne concesserunt epigraphicis et philologis Buecheler, archaeologicis Loeschcke. quibus viris omnibus, in primis Greenough et White Harvardianis, Buecheler et Usener Bonnensibus gratias ago maximas. Allen autem et Loeschcke, fautoribus studiorum meorum benevolentissimis et amicissimis quid debeam, numquam obliviscar.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Hyginus Fab. 72 argumentum tragoediae post Antigonam Euripideam scriptae tradidit.

2. Statuas colosseas, quae hodie Romae in monte Quirinali stant, olim singulis in basibus erectas esse demonstrant picturae a Lafrerio expressae. (Spec. Rom. Magn. Tab. 112 et 113.)

3. Verba Thucydidis VIII 97 καὶ μισθὸν μηδένα φέρειν μηδεμιᾶς ἀρχῆς, ad mercedem iudicibus abrogatam referenda non sunt; nam iudices Athenienses potestatem (ἀρχήν) non habebant.

4. Ordo legum de homicidio a Demosthene (Orat. adv. Arist.) relatarum ad ordinem legum in Draconis tabulis non accommodatur.

5. Philod. περὶ εὐσεβ. (Gomperz Herc. Stud. 2, p. 76; Diels Hermes 13, 1). Περσαῖος δὲ δῆλός ἐστιν ... ἀφανίζων τὸ δαιμόνιον ἢ μηθὲν ὑπὲρ αὐτοῦ γινώσκων ὅταν ἐν τῷ περὶ θεῶν μὴ (ἀπί)θανα λέγῃ τὰ περὶ (τοῦ) ‛τὰ τρέφοντα καὶ ὠφελοῦντα θεοὺς νενομίσθαι καὶ τετειμῆσθαι πρῶτον' ὑπὸ Προδίκου γεγραμμένα, μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς εὑρόντας ἢ τροφὰς ἢ σκέπας ἢ τὰς ἄλλας τέχνας ὡς Δήμητρα καὶ Διόνυσον καὶ τοὺς ....
   Addendum esse puto Διοσκούρους.

6. C. I. A. II 2249. ...ων Λυκόφρονος Κυδαθηναιεύς. figurae muliebri anaglyphi superscriptum est nomen Λυσιστράτη. restituendum est Δίων. cf. C. I. A. II 2233. Δίων Κυδαθηναιεύς. Λυσιστράτη. Δεξικράτεια.

7. Tituli Epidauri reperti (Cavvad. Fouilles d'Epid. No. 57 et 145) Dioscuros Anaces ibi cultos esse non demonstrant.

8. Magni Dei Andaniae culti (Le Bas Voy. Arch. II No. 326 a) non Tyndaridae, ut Toepfferus contendit (Att. Geneal. p. 220), sed Cabiri erant.

9. Nomina in lecythis amphorisque sepulcralibus Atticis sculpta non ad mortuos monumentis commemoratos sed ad homines in anaglyphis repraesentatos spectant.